



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Apotheca Spiritualem Pharmacorum Contra Litem Contagiosam Aliosque Morbos

Wichmans, Augustin

Antverpiae, 1626

Cap. XIV. De Sancto Antonio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9653

9. r. 4. prol.
in Matth.

mentis faciebant: per vltimam verò significari Christum quem cum occiderunt, sibi ipsis tenebras densissimas pepererunt. Per nouum autem lumen quod singulis illis tribus noctibus ex lapide excutiebat, significari nouum lumen Christianorum quod ex lapide Christo à Iudæis percusso in mentibus nostris ortum est. Quod si, inquit, neglectâ consuetudine antiquæ Ecclesiæ vim faciant in eo vsu qui nunc est vltimam candelam non extinguendi, potest cum Abulensi responderi per illam candelam significari B. Virginem, in qua sola, vt piè creditur, fuit in illo triduo fides explicita resurrectionis, quam alij explicitè credere non tenebantur nisi post legitimam eius promulgationem & probationem. hætenus ille, quæ occasionaliter pro clariori intellectu Ecclesiasticarum cærimoniarum dicta sunt.

C A P. XIV.

De Sancto Antonio Abbate.

Sigebertus
& ex eo
Baton.

Consuetudo inuocandi S. Antonium vt specialem patronum contra pestem, ex eo, vt opinor (neque enim Athanasius, ex quo Surius & Lippelo sua hauserunt, quidquam eius meminit) primam originem duxit, quòd cum anno 1089. pestilentialis lues in Gallia multum excreceret, ita vt quoscumque attingeret sacro igne siue consumeret, siue membris mutilatos deformes relinqueret ostentui, frequentiori concursu creuerit eiusdem veneratio, in prouincia potissimum Viennensi quò eius corpus translatum Constantinopoli à Iocellino ex stirpe Comitum Pictauiensium oriundo, iussu Urbani Papæ ab eius filio Guidone apud Motam S. Desiderij fuerat collocatum, vbi

vbi omnes eo morbo tacti confestim sanabantur. Aucta
 verò est eo amplius erga eundem Sanctum reuerentia quòd
 sicut eo morbo ægrotantes sanari consueuerint, ita sani in
 eundem Sanctum peccantes siue periurio, aliãue in eum
 irrogata blasphemiam vel contumelia, eundem mox experiri
 solerent vltorem eodemque confestim morbo ignis sacri
 percuti, quod pauendum cunctis prodigium hactenus per-
 seuerat adeò vt in proverbium versum sit: In S. Antonium
 neminem impunè peccare. *Nolite tangere Christos meos &*
in Prophetis meis nolite malignari, quia qui vos tangit, tangit
pupillam oculi mei, & qui vos spernit, me spernit. Quod quam
 verum sit, probat Molanus recentiori exemplo æui nostri,
 dum inter cetera ex Lindano Episcopo Ruremondensi ac
 demum Gandensi, hæc refert: Cùm dira grassaretur Geuf-
 siorum (ita hic hereticos ab infami illo famoso Geux, idest,
 mendicos vocamus, vti Franci suos Calvinistas, Hugonot-
 tas ab Hugonis porta circa quam Parisijs prima sua con-
 uenticula habuerunt) tempestas, non solum deiecta in ig-
 nem fuit aurata S. Antonij apud Buscum ducis statua, sed
 tam abominandis blasphemijs impetita quòd Dei Opt.
 Max. manus vindex ea de causa duos ex illis blasphemis
 Geussijs è vestigio percussit peste subitanea, quam D.
 Antonij iam olim appellant Christiani, quod illi depel-
 lendæ sint eius persæpè apud Deum experti patrocini-
 um, ideoque eidem Sancto ignis solet appingi quem suo obten-
 tu, vt habet de eo sacra Collecta, solet extinguere. Rem-
 gestam ita Lindanus Episcop. Ruremond. l. 2. de fug. idol.
 Narrat anno illo Geussiacò supra millesimum quingente-
 simo sexagesimo sexto, cùm per Belgium passim Icono-
 clastæ in venerandas Sanctorum imagines desæuissent. Bus-
 coduci accidit quosdã D. Antonij imaginẽ in frustra concide-
 dere, vt incendio via publica abolerent. Verũ quid accidit?
 non sanè impunè tulere impij; è vestigio enim illa peste

N quam

Psal. 104.

de pict. ca.
19.

Contigit
hoc mira-
culum
anno 1566

Vide Lin-
dan. de
fug. idol.
cap. 2.

quam D. Antonij iam olim vocarūt Christiani, corripuntur, totoque vtriusque corpore instar granorum piperis pestilens ille ignis ebullit. domum se recipiunt infelices: quorū plaga socij deterriti, rogum deserunt trepidi. Tam atroci atque voraci consumebantur miseri totum per corpus incendio, vt postridie impiam efflarint animam, & funesta reliquerint cadauera variorum colorum stigmatibus, cœruleis, prasinis, atris insignita. Istud tam est tota vicinia notum, vt plurimos eius rei non solum audierimus concorditer historiam ad viuum depingentes; additis etiam tam sacrilegorum quàm familiarium nominibus: sed publici etiam viderimus Notarij fide non indigni neque obscuri testimonium. Hactenus Lindanus apud Bredembach. qui & istud eiusdem argumenti exemplum præmittit Collat. Sacrar. li. 3. ca. 27. Publico multorum sermone editisque scriptis constat atque etiamnum hodie superstites sunt viri fide dignissimi qui nobis retulerunt eo ipso tempore cum Geussij in Belgio tumultuarentur, & Guilielmus Comes Montensis Aurangia Principis Guilielmi sororius, monasterium Franciscanorum prope Embricam ab eiusdem Comitibus maioribus quondam religiose fundatum demoliretur, quemdam hominem nouis dogmatibus dementatum superuenisse, & omnibus iam statuis, imaginibus & altaribus vastatis & exturbatis, inuenisse adhuc residuam ibi statuam D. Antonij: quam iste protinus proterua manu corripuens in terram illiferit pedibusque cōculcauerit & quibuscumque poterat modis exagitauerit. Euenit autem vt quæpiam assisteret mulier Catholica, quæ hominem compellans ait: Quid in te peccauit D. Antonius quod statuam eius tam indignè exagitas? ille protinus in proteruam hanc vocem prorupit: Quid tui mihi obstrepis de S. Antonio? Si quæ illum aut virtutem habeat eam declaret. Nec mora. è vestigio iste in Sanctum blasphemus, igne sacro, quæ vocant D. Antonij, corripitur, totoque corpore vstulatur; & tandem sacro igne totus

totus

totus, Deo vindicantē, excarnificatus, animā turpiter exhalat. Verū hisce iam dictis notabilius est quod ijdē memorati authores referūt: nempe cū anno 1576. Dux Alensonius frater regis Frāciæ, esset in vrbe Castillon, & excubiæ pedestriū copiarū in villa quæ dicitur Soulei, à dicta ciuitate plus minus vno milliati distante, agerētur, tres milites male feriatū deprehenderūt præ foribus imaginē D. Antonij in petra erectā, ac post multa scandala, ludibria & dicteria in eam congesta, caput quidē imaginis galea, manus verò armarunt hallebardia, talia cum execrandis blasphemijs euomentes: Tu si quid vales, si qua tibi potestas in præsentia, nunc eā demonstra cōtra nos, ac te defende. quo dicto suis armis imaginem impetunt multis ictibus: quibus non contenti, vnus eorum bis aut ter displosa bombardā imaginem illam oppugnare aggreditur, ac eius faciem intermentum & inferius labrum iaculatus globulo tormentario lacerat sacrilegus. at non impunē; nam eodem momento ille impius magno eiulatu exclamans horridumq; eiulans; Totus, inquit, ardeo, totus comburor. statimque prolabitur mortuus in terram. in cuius facie eodem loco vbi imaginem violarat, vice reddita, ignis scelerum vindex, qui totum deinde os replebat, velut via facta erumpens, perluxit, eam deuorans, etiam cū iam miseram exhalasset animam. Secundus autem non minū sentiens Dei omnipotentis manum, exclamat quoq; ignis vim se ferre non posse, volensque intestina tormēta per aquam affugere, in torrentem proximum præceps insilijt; nec Dei tamen præsentiam effugit. nam statim aquā submersus & suffocatus interiijt. Porro tertius cernens suorum miserabilem exitū, sui impos ac totus exanimis humi affigitur, ac deportatus in proximam domum, totus feruentissimis febribus æstuebat, adeoq; violentis vt miserum spectaculum de se omnibus exhiberet. Cuius miseria permoti cognati, amici maximè & commilitones Catholici, ad templum veluti ad

asylum confugere, Deo Patri, Sacerdote perquisito, Sacrificium Mediatoris solemniter cantu pro imagine B. Antonij immolare, ac vnanimiter cateruatim proruentes, tam milites quàm dicti loci incolæ, Deum summa animi deuotione pro miseri fratris salute comprecari, postque Sacrificiũ & multas preces afflictum inuisere, præmissisque multis alijs orationibus, aquam ei benedictam Sacerdos aspergebat: è vestigio ille miser sibi redditus crimen agnoscit, Dei misericordiam in clamat, ac manus tendens in cælum, humilibus ac magnis precibus suum errorem professus, se accusans, omnium deprecationes supplex ambit, vt pro ipso Deum clementissimum interpellent: Nec defuit Diuina misericordia. Nam statim pristinae valetudini ac menti restituitur. Hæc veraciter sub oculis plus quàm trium milliũ hominum palàm gesta sunt: quibus Deus ostendere voluit & sanctum Antonium in imagine sua iniurijs affectum, ignem pestiferum posse immittere, & suppliciter inuocatum eundem à corporibus propulsare, atque eam obcausam multis locis in ostio domus imago Sancti Antonij appingitur vt obtinere dignetur à Deo ne pestis eandem domum inuadat. Appingitur quoque e idem porcus, vt ita laici doceantur animalia sua eius intercessionem à malo præseruari, vt in huius beneficii implorationem ac protestationem porcus plerisque locis (quem Louanij grossum & crassum plateatim victum quærentem sæpè vidi) alitur à communitate quæ nominant S. Antonij porcum, vnde prouerbiũ natum vt homines illiberales atque omnium domos curiosius perscrutantes in singulorum facta inquirendo, porcum S. Antonij vocitemus. Porrò sicut maiores nostri memorias Sanctorum religiosa peregrinatione inuisentes libenter pro se conferre consueuerunt paruam Sancti imaginem (vt etiamnum hodie multis in locis religiosi moris est) æri, argento vel etiam papyro seu chartaceis

chartaceis vexillulis impressam; sic etiam pro pecoribus suis conferebant collo alligandam nolam ex memoria S. Antonij, eo modo pulicè protestantes quòd eius meritis petebant & confidebant animalia sua præseruari à peste. quod indicant carmina Ambrosij Nouidij.

— *Collo tua concutit æra*

Nescere quo possis, ne noceatur, ait.

Æsq; meum gestat baculo quod cernis in isto,

Quodq; rogans eger, collaq; multa gerunt.

Appingunt insuper (vt & hoc pro mantissa hîc adijciam) Thau, signum Crucis. nam eo fortiter restitit dæmonum insultibus. Vnde Athanasius (apud quem pulcherrimus eius de Cruce sermo legitur ad Philosophos quibus præsentibus dæmones hoc signo expulit) refert eum dæmonibus dixisse: Cur frustra nitimini? signum enim Crucis & fides ad Dominum, inexpugnabilis nobis murus est. & verè murus inexpugnabilis; nam sicuti canis viso baculo quo percussus fuit, in fugã mox se coniecit: ita & diabolus vbisignum Crucis conspexerit per quod se victum nouit. Quocirca rectè canit Ecclesia: O crux gloriosa! ô crux adoranda! ô lignum pretiosum & admirabile signũ per quod & diabolus est victus, & mūdus Christi sanguine redẽptus. Ecce Crucem Domini, fugite partes aduersæ. Porrò virum hunc sanctũ tanti fecit magnus Athanasius, vt eum in eremo sponte visitauerit & benedictionis gratiã duo ad eum pallia attulerit, quorũ altero idem Antonius Pauli primi Bremitæ exanime corpus inuoluit, alterum iam longo vsu tritum moriens legauit eidem qui dederat Athanasio, qui eiusmodi sibi traditum legatum tamquam magnam hereditatem ingenti gaudio suscepit & magno honore veneratus est in solemnioribus festiuitatibus eodẽ indutus procedens, quẽ etiã scribit à Constantino Imp. eiusque filijs per litteras frequentatũ esse, magni muneris loco illis habẽtibus si vel verbulũ pro responso ab eodẽ mereretur accipere.

De factis
sacris li. 8.

Hieron. in
vita Pauli
etern.
Athanas.
in vita S.
Anton.